

nitioribus debitam mihi revocarem in animum: fas quidem esse ducebam, monitis parere, & prompta alacrique mente iussa fideliter exequi. Ex altera verò cum casus perpenderem obscuritatem: eiusdemq; novitatem & difficultatem ponderarem altius: rectius me fama & existimationi meae consulturum arbitrabar, si prorsus tacerem: praesertim cum perspicerem, & magna ex parte nudis solum conjecturis mihi nitendum esse.

Re autem diu multumque deliberata, tandem Parentis consilium vicit. Satius enim esse existimabam, aliquid dicere: & alijs, quibus est iudicium maturius, & doctrina suppellex instructior, occasionem in rei veritatem accuratius inquirendi praebere: quam venerandi Patris voluntatem negligere.

Neque quenquam vel curiositatis me accusaturum: vel discursum meum, qualiscunque tandem futurus esset, prorsus damnaturum putabam. Ad Medicinam enim spectat, quod humano corpori à morbificis accidit causis, perpendere. Medicinae professoribus incumbit, pro viribus enodare ea, quae in eodem monstròse, & contra consuetum naturae cursum eveniunt. Quae animo conceperam, etsi non omnia accurata & necessaria esse nôram: verò tamen similia: experientiae consentanea: auctoritate magnorum virorum stabilita: principijs denique medicis & philosophicis majori ex parte fundata sciebam,

DE Auditoribus optima quaeque mihi pollicebar: planèq; eiusmodi censores & aestimatores me habiturum confidebam, quales Aristotelem in fine Organi sibi optasse legimus; qui errata & omissa humaniter essent condonaturi: rectè autem inventa grato agnitori animo.

Itaque calamum, ut dixi, in manum sumsi: & quicquid hic publicatum est sermonis, intra exigui temporis spatium confeci: praeteritoque mense Maio publicè in Auditorio

ria